ORATIO
Quâ auſpicatiſsimum Sereniſsimi
PRINCIPIS
CAROLI,
Reditum ex Hiſpanijs celebrauit

GEORGIVS HERBERT
Academiæ Cantabrigienſis
ORATOR.

Ex Officina CANTRELLI LEGGE, Almæ
Matris Cantabrigiæ *Typographi*.
1623.

Her 3.3 *

Veneranda Capita,

Viri grauiſſimi,

Pubes Lectiſſima.

POLYCRATES cùm annulum ſibi dilectum in mare dimiſiſſet, eundemq; retuliſſet captus piſcis, fœliciſſimus mortalium habitus eſt. Quanto fœliciores nos omnes, Corona Muſica, qui optimum Principem ſpe nuptiarum mari nuper tradentes, & ipſum accepimus ſalvum & annulum, annulum Coniugalem, nunc denuò noſtrum, atq; vbiuis terrarum pro iudicio prudentiſſimi Regis, & in rebus humanis diuiniſq; exercitatiſſimi de integro diſponendum. Redijt? redijt CAROLVS, & cum eo vita noſtra atq; calor, longo animi deliquio fugitivus ac deſertor. Quid iactas mihi aromata Orientis? Quid Theriacas peregrinas? aſſerunt Medici vnamquamq; regionem ſuam ſibi ſufficere, neq; externis indigere auxilijs atq; antidotis; certè noſtrate Principe nuſquam præſentius Balſamum, nuſquam benignius, ſolvens obſtupefactos artus, atq; exhilarans, tumentibus iam venis, arterijs micantibus, ſpiritibuſq; tabellarijs lætum hunc nuncium vbiq; deferentibus, vt nullus ſit angulus corporis, nulla venula, vbi non adſit CAROLVS. Quàm facilè ſentiuntur boni Principes! Vt natura omnis ſuos habet anteambulones, vnde pluvia futura, an ſudum, facilè conijcitur ex cœlo, ex garritu auium, ex lapidum exhalatione: Sic bonorum Principum facilis Aſtrologia: quorum aduentum ipſi lapides, ipſa duriſſima ingenia, meum præſertim, celare non poſſunt; quantò minus tacebunt luſ-

ciniæ noſtræ diſertæ, minimeq́; omnium cœleſtiores animi, quorum pietatis intereſt non ſilere.

Quæ enim vſpiam gens, quod vnquam ſeculum meliorem habuit Principem? percurrite Annales regnorum, excutite ſcrinia politiarum omnium; vos, vos, inquam, excutite, quorum ætas teritur in libris: non ruſticis loquor aut barbaris, quos magnificentiâ promiſſi circumſcribere in promptu erat, rudeſq́; animos vi verborum percellere: veſtra eſt optio, veſtra diſquiſitio, qui lineæ eſtis & helluones chartacei; date mihi CAROLVM alterum, quamlibet *Magnum*, modo detis eum in flore, in vaginâ, in herbeſcenti viriditate; nondum ad ſpicam, barbamq́; adultum. Non rhetoricor, Academici, non tinnio: ὑλομανίαν illam & inanem verborum ſtrepitum iamdudum depoſui: bullæ & crepitacula puerorum ſunt, aut eorum certè, qui cymbala ſunt fanaticæ iuventutis: ego verò ſentio, & quis ſum ipſe (barbam, hui, tam grauem) & apud quos dico, viros limatæ auris atq; terſæ, quorum grauitate ac purpurâ non abutar.

Quare vt parciùs agam vobiſcum, ſimulq; & laboribus meis, & veſtræ fidei conſulam, quemadmodum artifices non omnes licitantibus producunt merces, ſed ſpecimen tantùm: ſic & ipſe excerpam è Principis rebus geſtis pugillum, vnam actionem è multis ſeligam, quam vobis amplectendam diſſuaviandamq́; præbebo: eſto autem hoc ipſum iter, quod nuper emenſus eſt, vt ſciatis omnes quàm nudè, quàm ſimpliciter vobiſcum agam, quàm non longè abeam Oratorum more, qui nullum non angulum verrunt (ac ſi perdiderint ingenium) vt Spartam exornent ſuam: Ego verò non dicam vobis quod factum eſt ante ſeculum veſtrum, aut apud Indos; vnicum hoc iter nuperum explicabo, in quo longè vberrimam gloriæ ſegetem, perſpicio, nullâ verborum, nullâ temporis falce demetendam.

Non vnum quid ſpectant, aut ſingulare Magni animi, ſed varia ſolent eſſe eorum conſilia, fineſq́; multiplices & polymiti, vt ſi minùs id aſſequantur, quod primùm intendunt, ſaltem in ſecundis aut tertijs conſiſtant. Quare & Principis iter multiplicem nobis exhibet prudentiam; primò nuptias ipſas ſpectate. Quid autem? Ergon' amauit Princeps? Quippini; homo eſt, non ſtatua; Sceptriger,

ger, non ſceptrum: æquúmne eſt vt tot labores & ſollicitudnes Principum ſine condimento ſint atq; embammate? Quid ſi cochleas colligeret cum Caligulâ, præſertim cum poſſit in eodem litore? Quid ſi muſcas captaret cum Domitiano? at ille ambiuit nobiliſſimam Auſtriacam familiam, Aquilamq; illam, quæ non capit muſcas. Nihil habet humana vita maioris momenti aut ponderis, quàm Nuptiæ, quas adeo laudant Poetæ, vt in cœlum tranſtulerint: Εἰ ἓν ἦν ὁ ἄνθρωπος, inquit Medicorum Alpha, οὐκ ἂν ἤλγειν. Hinc Thraces dicti ſunt ἄβιοι, & Licurgus magnus Legiſlator, ἀτιμίαν προσέθηκε τοῖς ἀγάμοις: Abſq; nuptijs foret populus virorum eſſemus vnius ſeculi; hâc re ſolum vlciſcimur mortem, ligantes abruptum vitę filum, vnde conſequimur, vel inuitis Fatis quaſi nodoſam æternitatem.

Non ignoro apud quos hæc dico, eos ſcilicet, qui innuptam Palladem colunt, Muſaſq; cœlibes qui poſteros libris non liberis quæritis. Nolite tamen nimium efferre vos, cum Virginitas ipſa fructus ſit Nuptiarum: quod perelegante & ſuprá barbariem ſeculi innuebant Maiores noſtri, qui olim glaſto ſe inficientes, in vxorum corporibus, Solem, Lunam, & Stellas, in virginum, flores atq; herbas depinxere: vt enim Vxores, Virgines; ita Sol & Cœlum producunt flores, qui ſymbola ſunt ſpei, quoniam à floribus fructus ſperantur.

Quod ſi Nuptiæ in ſe graues ſunt, quantò magis Principum, cum, quò eorum conditio ſublimior, eò maior cura adhibenda ſit. Deus ipſe cum crearet hominem, mundi regem, conſilio vſus eſt. Quare operoſior in eo ſtructura, & prærogatiuæ regiæ emicant. Soli homini dantur manus ſoli caput rotundum & cœleſte, ſoli facies tanquam veſtibulum magni palatij. Iam verò, vt Rex animalium, fiat Rex hominum apponimus nos manibus Sceptrum, capiti & faciei coronam, ſignificantes oportere Reges ijs partibus antecellere homines, quibus homo bruta, iuſtitia ſcilicet & prudentia. *Goropius Becanus* ait vetus vocabulum noſtrum, Kuning, & contractè King, à *Con* verbo deduci, quod tria complectitur, *Poſſum, Scio, Audeo:* cernitis Regem, & nomine & re magnum quid polliceri, ideoq; ex quolibet ligno, qualibet vxore non eſſe fingendum: neq; enim minus refert, qualis quæq; ſit mater, è quâ liberi quærantur, quam

qualis terra, è quâ arbores. Apud Iuriſ-conſultos, partus ſequitur ventrem: quibus accedunt Poetæ,

> Ὅταν κρηπὶς μὴ καταβληθῇ τοῦ γένους
> Ὀρθῶς, ἀνάγκη δυστυχεῖν τοὺς ἐκγόνους.

Nam vt educationem liberorum mittam, quâ in re celebris eſt Gracchorum mater, ingenium ipſum atq; indoles (veluti Concluſio ſequitur infirmiorem partem) plerumq; matriſſat: hinc contigiſſe arbitror apud Romanos, quod nonnullæ familiæ ſemper mites eſſent, vti Valerij, aliæ contrà ſemper pertinaces ac tribunitiæ, vti Appij. Quare noluit Princeps optimus, in delectu vxoris, re vnâ omnium grauiſſimâ alienis oculis iudicioq; inniti; Ipſe, ipſe profectus eſt, vt ingenti labore ſuo & periculo conſuleret, & præſenti Reipub. & futuræ; neq; vnius ſeculi Princeps, ſed & omnium, quæ ventura ſunt, haberetur. Neq; in hiſce Nuptijs poſteritati tantùm proſpexit, ſuauiſſimus Princeps, verùm etiam præſenti ſeculo, dum pacem, quâ tot iam annis impunè fruimur, hoc pacto fundatam cepit & perpetuam; quod quidem vbi gentium ſi non ab Hiſpano ſperandum? Ὅταν νομεὺς ἀγαθὸν κύνα ἔχῃ, καὶ οἱ ἄλλοι νομεῖς βούλονται πλησίον αὐτοῦ τὰς ἀγέλας ἱστάναι. Scio Belli nomen ſplendidum eſſe & glorioſum, dum animus grandis, ſuiq; impos, triumphos & victorias, quaſi fræna ferox ſpumantia mandit, iuvat micare gladio & mucronem intueri.

> Iam nunc minaci murmure cornuum
> Stringuntur aures: iam litui ſtrepunt,
> Iam fulgor armorum fugaces
> Terret equos equitumq; vultus.

Cum tamen ſplendida plerumq; vitrea ſint, claritatem fragilitate corrumpentia; neq; de priuato agamus bono, ſed publico; certè fatendum eſt, anteferendam bello pacem, ſine quâ omnis vita procella, & mundus ſolitudo. Pace, filij ſepeliunt patres; bello, patres filios: pace, ægri ſanantur; bello, etiam ſani intereunt: pace, ſecuritas in agris eſt; bello, neq; intra muros: pace, avium cantus expergefacit; bello, tubæ ac tympana: pax, novum orbem aperuit; bellum deſtruit veterem.

> Εἰρήνη γεωργὸν κἂν πέτραις τρέφει καλῶς
> Πόλεμος δὲ κἂν πεδίῳ κακὸς ἔφυ.

Quod

Quod ad noſtram Rempub. Academiam, pax adeo Muſis ſummè neceſſaria eſt, vt ſine eâ nihil ſimus, Nam primùm tota hæc Pieria ſupellex, charta, calami, codices, quàm ſubitò diſpereunt, ſimul ac concrepuit incendium militare: quid proderunt ſcalpella veſtra, quando ipſæ hæ turres & beatæ fabricæ, vnico ictu ſulphurei tubi vnicâ liturâ delentur? Dein quid Muſis cum tumultu? Otium poſcunt artes, mentem tranquillam, ſerenam, ſudam: lucos æſtate, pinguem togam hyeme: delicata res eſt eruditio & tenera, tanquam flos molliculus rudiore Centurionis manu tactus flacceſcit. Tu, qui Philoſophiæ incumbis, cùm corporis cum animâ vinculum impedimento eſſe ad contemplandum cauſaris, irruit Miles in Muſæum tuum, & gladio te liberat. Tu, qui aſtra ſcrutaris, dum globos tractas & cœlos fictitios, perrumpit primipilus, & te cum cœlis tuis ad inferos deturbat. Senſit hoc Archimedes, figuras iam nunc pulueri inſcriptas, corpore confoſſo obliterans. Quare cauendum, ne pacem, quæ ſola incubat artibus, & obſtetricatur, minus quàm par eſt, æſtimemus. Quod aliæ gentes manibus in cœlum ſublatis, lachrymis in terram manantibus, ieiunæ, ſqualidæ, perdiæ, pernoctes flagitant, cavendum ne id nobis nauſeam moueat, aut tanquam oues tædulæ & faſtidioſæ, cibum reſpuamus. Ecquid neſcitis miſerias Belli? conſulite hiſtorias; illic tuta cognitio eſt, atque extra teli iactum. Ecce lanienas omnimodas, truncata corpora, mutilatam imaginem Dei, pauxillum vitæ, quantum ſatis ad dolendum, vrbium incendia, fragores, direptiones, ſtupratas virgines, prægnantes bis interſectas, infantulos plus lactis quàm cruoris emittentes; effigies, imo vmbras hominum fame, frigore, illuvie, enectas, contuſas, debilitatas. Quam cruenta gloria eſt, quæ ſuper ceruicibus hominum erigitur? vbi in dubio eſt, qui facit, an qui patitur, miſerior.

Non nego bellum aliquando neceſſarium eſſe, belliq; miſerias gratas, præcipuè vbi velut ex continentibus tectis ad nos traiecturum eſt incendium: Σωφρόνων ἐςὶ μὴ περιμένειν, ὅτε πολεμεῖν ὑμῖν ὁμολογήσει, dixit Mithridates. Sed non eſt noſtri bellum indicere: prudentiſſimus Rex maturè proſpiciet, vbi ille ſignum ſuſtulerit, Leones Britannici (è quorum oſſibus colliſis ignis elicitur) qui nunc manſueti ſunt, abundè rugient. Interim curioſitas abſit, neq;

eorum

eorum ſatagamus, quæ ad nos non ſpectant; ſed velut Romani lacum, cuius altitudo ignota erat dedicabant victoriæ; pariter & nos conſilia regia, tanquam gurgitem imperveſtigabilem, victoriæ nuncupemus: præſertim cum futura incerta ſint, & nullis perſpicillis, ne Belgicis quidem aſſequenda: apud poetas deorum pharetræ operculum habuere, humanæ non item: patent enim conſilia noſtra, abſconduntur Diuina & Regia, præcipuè pharetrata, quæ ad pœnam gentium & Bellum ſpectant. Sunt tamen acuti quidam & emuncti, qui omnia præuident: nihil eos latet, ac ſi Fatis à fuſo eſſent, atq; conſilijs, ſine quibus ne vnum quidem filum torquerent: nobis non licet eſſe tam perſpicacibus, quamuis rationi conſonum videtur, vt qui hic in Muſarum monte editiſſimo, in ipſo Parnaſſo ſiti ſumus, liberiorem, quam alij, proſpectum habeamus. Illud autem, quod cuiuis clariſſimè patet, etiam luſco, nunquam intueri ſatis vel mirari poſſumus, nimirum infinitum Principis in ſuam gentem amorem, cui pacem quæſiuit ſuo capite, periculis ſuis.

Rectè facitis, Academici, attollentes oculos cum ſtupore; Laudo vos, neq; enim quicquam hoc itinere mirabilius, cuius tamen fructum omnem nondum habetis enucleatum. Quid enim ſi præter Nuptias, prolem, tranquillitatem, etiam & ſcientiæ augmentum ex hoc itinere captauit ſolertiſſimus Princeps? nihil ad cognitionem acquirendam peregrinatione conducibilius eſſe nouiſtis omnes, vnde cuncti antiqui Philoſophi peregrinati ſunt, exiſtimantes Τυφλοὺς εἶναι πρὸς ὀξὺ βλέποντας, ἀπαντολμήτους πρὸς ἐκδεδημηκότας. Quamuis res hæc Principibus vt vtiliſſima ita difficillima facta, cum quantò plus poſſint in ſuà terrà, tantò minùs in alienà. Omne regnum ſuo Principi carcer eſt, aut ſi excedat, alienum: at Noſter difficultatem ſuperans, fructum conſecutus eſt: quid enim vtilius quàm ex obſeruatione exterarum Legum ac morum, patriam ditare? Catonianum præceptum eſt: Vicini quo pacto niteant, id animum aduertito; adde quod anguſti eſt animi aut ſuperbi ſua tantum noſſe, præſertim cum in vno regno non ſint omnia: diuiſit Natura ſuas dotes, vt indigentia ſingularum regionum, omnes connectit: etenim abundantia moroſa eſt & ſternax, vnde diuites ſyluas, ac ſaltus quærunt vbi ædificent, ac ſi non gregaria eſſent animalia,

ſed tigres aut vrſi. Quamobrem optimè conſuluit gentibus natura, cum paupertatem daret tanquam catenam, quâ diſſitas nationes ac ſuperbas conſtringeret. Porro ſi Politicos audiamus, Salus regnorum pendet à vicinis, quorum conſilia, apparatus, fœdera, munitiones, æquè ac noſtra ſpectari debent: incumbant ſibi inuicem imperia, tanquam ligna obliqua, aliter magna hæc mundi domus corrueret: hinc Reges Legatos habent ſtatarios ac reſides, quem locum Noſter ſuauiſſimus impleuit, ipſe egit oratorem, vt & ego aliquantulum hoc nomine glorier.

Neq; alienas tantùm ex hoc itinere cognouit Reſpub. ſed quod plus eſt, ſuam; abſentiâ magis quàm præſentiâ. Nunc enim exploratos habet noſtros in ſe affectus, timores, ſuſpiria, expoſtulationes, iras, amorem rurſus. Deus bone? qui tum rumores? quæ auditiones? qui ſuſurri? Heus, abijtné Noſter? miſeros nos; nunquam frigidiorem æſtatem ſenſimus; at quo tandem? Madritum? hui! iter bene longum: Quid autem illic? ſterilem aiunt regionem: Falleris, nuſquam plura bona, cum etiam mala illic ſint aurea: nihil inaudiſti de Tago, Pactolo? apud nos agri tantum ſunt fertiles, illic etiam arenæ. Dij te perdant, cum malis tuis & arenâ ſine calce; at ego Principem vellem, CAROLVM, CAROLVM; ſiccinè abijſti ſolus? cur non nos omnes tecum? cur non vt elephanti turres, ita tu patriam tecum portaſti? Sic tunc omnes ſtrepebant: huiuſmodi lamentis & quiritationibus plena erant fora, nundinæ, conciliabula, angiportus, Mæandri. Dicam vobis, Academici; ego tunc temporis liberior eram, hùc illùc pro libitu circumcurſitans: inſpexi facies hominum ac vultus curioſiùs tanquam emptor, ita me ametis omnes, vt ego nihil vſpiam lœtum, nihil candidum expiſcari poſſem, oculi omnium deiecti, humile os, collum penſile, manus decuſſatæ, ipſæ mulieres inelegantes, nulla pulchritudo per vniuerſam Britanniam, diſparuit forma, Albion nomine excidit: ipſum cœlum nubilum ſemper, & poeta ſtultus qui dixerat,

Minimâ contentos nocte Britannos.

Inde ego ſic mecum: gaudeo quidem de ingenti amore in Principem, cui nulla dilectio par eſſe poteſt; at cur adeo dolent? cur ringuntur? num diffidunt prudentiæ Regis? annon eius conſilio res geſta eſt? Scio Hiſpanum verſutum, callidum, artis & aucupij ap-

 prime

primè gnarum: at IACOBVS à nobis eſt: hîc ego me erexi & de dolore remiſi plurimum, de deſiderio nihil. Atq; hoc quidem ſtatu res erant, Suauiſſime CAROLE, cum tu aberas; ex quo facile collectu erat, quantum deperimus te; quam ſtultè de te rixamur: vt aliquando exiſtimem id egiſſe prudentiſſimum Patrem tuum, cum dimitteret te in Hiſpaniam, quod Romani Imperatores in bello, qui ſolebant ſigna in hoſtes inijcere, vt milites acriùs ea repeterent: certè nos te abſentem omnes acerrimè concitatiſſimeq; deſiderauimus.

Ecquid videtis tandem quàm vtile hoc iter, per quod optimus Princeps non tantùm exteras regiones habuit perſpectas, verumetiam ſuam? Quid ſi hîc lateat etiam Temperantia, rara in Principibus virtus, & cui cum ſceptro lites ſæpiùs intercedunt? Quid enim? adeon' nihili videtur res, Principem omnibus delicijs abundantem, obſeptum illecebris, voluptatibus quaſi faſcijs circundatum, enatare è delicijs, tranſilire ſepes, rumpere faſcias cum Hercule, ſerpenteſq; interficere voluptatis, vt iter tantũ, tantis laboribus, periculis obnoxium ſuſciperet? Quàm pudet me delicatorum Cæſarum, qui cupiditatibus immerſi, aut vno ſemper ſaginantur in loco, vti anguillæ, aut ſi mutant locum, geſtantur, tanquam onera, circumferuntur molliſſimis lecticis, indicantes, ſe non amare patriam terram, à quâ adeò remouentur. Sic paſcunt ſe indies, ac ſi corpora ſua non abirent olim in elementa, ſed in bellaria aut tragemata: cum tamen in reſolutione illâ vltimâ, nulla ſit diſtinctio populi aut principis: nulla ſunt ſceptra in elementis, nulli faſces aut ſecures: Vapores ſeruiles ad nubes educti, æquè magnum tonitru edent ac regij. Quid ego vobis Neronum aut Heliogabalorum ingluuiem memorem? quid ructus crapulæ ſolium poſſidentis? Dies me deficeret (& quidem nox aptior eſſet tali hiſtoriæ) ſi Romanorum Imperatorum incredibilem luxum à Tiberio Cæſare ad Conſtantinum magnum aperirem, quorum imperium gulæ impar erat, vt interdum putem, optimè conſuluiſſe Deum orbi terrarum lapides & metalla ei inſerendo, alitèr mundus iam diu fuiſſet deuoratus. Nota ſunt ταριχεύματα Ægyptiorum, qui antequam condiebant corpora Nobilium, ſolebant ventres eximere, quos in arcâ repoſitos abijciebant in fluuium, his verbis, Ὦ δέσποτα ἥλιε ϗ θεοὶ

πάν-

πάντες, εἴ τι κατὰ τὸν ἐμαυτοῦ βίον ἥμαρτον, ἢ φάσκων ἢ ποιῶν, ὧν μὴ θεμιτὸν ἦν, οὐ δι' ἐμαυτὸν ἥμαρτον, ἀλλὰ διὰ ταῦτα. At noſter ſpretis voluptatibus, illecebris μειλιταίαις ἀγχόναις abiectis, iter aggreditur & labores, haud ignarus, ignem vitæ augeri ventilatione, deſidiâ corrumpi, neminemq; eſſe ſui negligentiorem, quam qui ſibi parcat. Quin exuit perſonam Principis, deponit Maieſtatem, virgam cum ſceptro commutans, vt quid priuata habeat in ſe vita commodi aut voluptatis, experiretur. Nihil vtilius Regi quàm aliquando non regnare: hoc enim faſtum amputat, affectus explorat, adulationem ventilat, & adulatores, qui ſemper titillant aures Principum. Ὥσπερ τοῖς πτεροῖς κνώμενοι τὰ ὦτα. Elfredus nobiliſſimus Saxonum noſtrorum Princeps, ſub ementito habitu fidicinis caſtra hoſtium ingreſſus, ipſumq; Prætorium, fidibus canendo, omnia Danorum expiſcatus conſilia, victoriam celebrem conſecutus eſt. Notiſſimus eſt Codri amor, cuius manifeſtationem in gentem ſuam, priuatæ perſonę & habitui debuit. Porro, eſt etiam interdum ſatietas quędam honoris, quem ad tempus deponere famem excitat: non minùs vitæ inæqualitas delectat, quàm terræ, quam Natura montibus vallibuſq; ſublimitate atq; humilitate diſtinxit: quin & venti imperant pelago, vt læuitatem illam æquabilem atq; politiem perturbent. In picturis locus eſt vmbris & receſſibus, etiam ſi quis Principem pingat. Amat varietatem Natura omnis, flores, animalia, tum maximè homo, cui ſoli ideo inſunt oculi variegati, cum cætera animantia vnicolores habeant. Quamobrem non eſt mirandum, ſi Reges ipſi quandoq; ſuauitates ſuas populari aceto condiant.

Accepiſtis, Viri attentiſſimi, cauſas itineris huius, quantum quidem ego homuncio ac nanus coniectando aſſequor. Quare nunc vobis ex pede Herculem, ex itinere Principem metiri licet, quod ſane adeo nobile fuit & honorificum, vt nihil habeat Inuidia ipſa, quod contra hiſcat aut muſſitet. Adeſt tamen anus illa querula, & φιλεγκλήμων, quam audire videor dicentem, Pulchrum quidem iter & Amante dignum; ſiccine peſſima? at fuerit; ſi amor virginis eò pertraxit Principem, quò tandem ducet amor Patrię? eadem acies & ſtipulam ſecat & lignum: idem feruor qui impar ſub amoris ſigno meritus eſt, ad vera caſtra traductus, hoſtem interficiet: idem impetus, qui peragrauit Hiſpaniam, ſi opus ſit, ſuperabit; præſertim

tim cùm amico fidere periculoſius ſit, quàm hoſtem ſuperare. Protagoras cùm eleganter admodùm caudices ligni faſciculo vinxiſſet, cum grandi atq; impedito onere facillimè incedens, occurrit ei Democritus, & ingenium admirans, domum ſecum duxit, & erudiuit artibus; qui inde è baiulo euaſit Philoſophus, eodem ingenio vſus in lignis & literis: quis ſcit an & amoris onus ſcitè vinctum ligatumq;, & per tot milliaria facilè tranſmiſſum, mentem maiorum capacem indicet? Florent apud nos artes omnes, inter quas & Mathematicæ, quæ licèt verſentur in figuris deſcribendis, quibus nihil imperito vanius inutiliuſuè videatur, vbi tamen ad vſum tralatæ fuerint, machinas conficiunt ad defenſionem Reipub. mirabiles: Sic idem animus, qui nuper verſatus eſt in formâ & figuris vultus, vbi res poſtulat, regnum tuebitur: imò in vniuerſum, ſi quis de Principe aliquo, quis ſit futurus aut qualis, rectè diuinaret, non reſpiciat materiam actionum, ſed quo ſpiritu, quâ arte, quanto impetu atq; vigore res aggrediatur: quemadmodum in Cometæ præſagio, non reſpicitur, quæ materia ſit, cœleſtis an ſublunaris, ſed quæ ſigna, quo motu tranſeat.

Verùm mittamus inuidos & inuidiam, quæ ſemper ſe deuorat primùm, vti vermis nucleum, è quo naſcitur; non eſt tanti reſpondere latratibus malevolorum; licèt celebres ſint canes Britannici, & plus iuſto celebres, cum leunculum & dominum ſuum contra naturam adoriantur: in Geoponicis dicitur, Κάτοπτρον ἐὰν ἐπιδείξῃς τῷ ἐπικειμένῳ νέφει, παρελεύσεται ἡ χάλαζα: quanto citiùs fugient calumniæ, ſi ſpeculum Inuidiæ oſtendas, quo deformitatem ſuam intueatur. Nos verò, flores Parnaſſi, gaudia præſtolantur, quæ iamdudum annuunt mihi vt perorem. Hilaris hæc ſumenda eſt dies. Quare prodite tenebriones literarij è gurguſtijs veſtris, vbi trecenta foliorum iugera, vno die ſedentes percurritis; prodite omnes. Quid noui? Quid noui ſtupide? Redijt Princeps, CAROLVS redijt, honore grauidus, grauidus ſcientiâ, cruribus thymo plenis: vt enim vapor, qui furtim aſcendit ad nubes, vbi iam ingraueſcit humore, relabitur in terram, quâ ortus eſt, eiq; cum fœcundiâ remuneratur: ſic & Noſter qui clanculum exijt, vſq; ad Pyrenæas nubes conſcendens, reuerſus per mare, gloriâ, prudentiâ auctior, ditat patriam, ſuamq; abſentiam cum fœnore compenſat.

Quam-

Quamobrem abijcite quiſq; libros, non eſt locus grauitati, neq; apud vos: tripudiet Alma Mater licèt ætate prouectior, etiam anus ſubſultans multùm excitet pulueris: Arionem Delphino reuectum excepere arbores tripudiantes, & Vos ſtatis?

Tantùm precemur Deum immortalem, vt Princeps optimus nulla ſecunda itinera meditetur; poſthac contineat ſe patriâ, cuius arctis amplexibus nunquam ſe expediet. *Gulielmus Victor* deſcenſurus primùm è nauibus in terram hanc, incidit in cœnum, quod innuebat eum hîc manſurum: vtinam & nunc ſit tanta patriæ tenacitas, vt nunquam Princeps ſe extricet: ſatis virtuti datum eſt, ſatis Reipub. Quod ſi neceſſe ſit iterum exire patriâ, qui nunc inuenit viam, proximo itinere faciat. Apollo olim depoſitis radijs, Daphnen deperijt, at illa mutata eſt in arborem triumphantium propriam: Noſter etiam Princeps habuit Daphnen ſuam, cuius amor deinceps in triumphos & laurus mutabitur.

Nos vero Auditores, diu iam peregrinati cum Principe, commodè peruenimus ad laurum hanc, vbi ſub vmbrâ eius paulisper requieſcamus; præſertim donec tranſeat nubes illa, quæ vicinos adeò infeſtat: hîc enim ſecuri ſumus à pluuiâ, imò à fulmine: Obſecremus eum tantùm vt permittat noſtram hanc

Inter victrices hederam ſibi ſerpere Lauros.

DIXI.